

ulterius propagarentur. Nam Classis nostrae nomine, *Bartholomaeum Kopitarium*, Bibliothecae Caesareae Vindobonensis Custodem, virum eruditione et humanitate commendatissimum, literis adivimus, ut ejus opera corrigentur, quae Scheybius corrupta exhibuerat. Rescripsit Kopitarius, jam dudum factum esse, quod vellemus, novamque Tabulae collationem Uralislaviam in possessionem Clarissimi *Friderici Schneideri Saxonis* venisse. Hunc simul, quo est animo ad literas juvandas promtissimo, de consiliis nostris certiorem fecit, ab coque facile impetravit, ut collationem illam nobis utendam concederet.

Fecerat eam Kopitarii hortatu *Valentinus Vodnikius*, Gymnasii Labacensis quondam Professor, anno MDCCCXV, cum Vindoboni moraretur, et Tabulae membranas in suos usus accuratius examinaret.

Ne autem in diligentia unius Vodnikii quamvis accuratissimi nobis acquiescendum esset, ejusdem Kopitarii opera effectum est, qui per *Fridericum de Bartsch*, Scriptorem Bibliothecae Vindobonensis, loca apud Scheybium corrupta summa diligentia ex ipso autographo delineanda et fidelissimam scripturae imaginem in eis repraesentandam curavit; quo factum est, ut et ipsi de Vodnikii fide judicare possemus, et chalcographus noster in emendandis Tabulis ipsos autographi ductus quos repraesentaret, fidelissime depictos haberet.

Quae autem nomina urbium, fluviorum, montium et regionum viciose a Scheybio relata Vodnikii collatio aperuit, ea in indice cancellis inclusa, correcta autem asterisco signata exhibuimus. Superest jam ut indicemus quae praeterea in Scheybii apographo vitium contraxerint, ut et reliqui errores, quos index ille monstrare non posset, numerorum praesertim, sub uno conspectu ponantur.

*Segm. I.* B. Fluvius *Riger* literae R suprascripta est L haud dubie a correctore. — F. Reuessione XVII. Signum numeri inter X et II ambiguum, num II sit an XI. Certum est, non esse V.